

Committimus quatenus ad nostram citetis presentiam discretum Laurentium de Freyenstat, artium baccalaureum in bursa Misnensium morantem, quem et nos peremptorie citamus sic, ut proxima quarta feria post executionem mane hora tertiarum compareat in ambitu Merseburgensi ad videndum et audiendum ipsum sententias „Si quis suadente dyabolo“ et alias penas ac censuras in dictis statutis contentas declarari incidisse, occasione certe lesionis citra sanguinis effusionem per ipsum in et contra dictos Iohannem Rottorp baccalaureum Halberstadensem et Petrum de Haygerloch Constantiensis diocesis clericos facte, aut ad allegandum causas in contrarium si quas habeat ac querelis dictorum Iohannis et Petri finaliter responsurus, alioquin ad declarationem ut premittitur procedemus, ipsius citati contumacia non obstante. Reddite litteras sigillatas. Anno domini m° cccc° LX septimo, feria sexta post dominicam quasimodogeniti, nostre executorie sub sigillo.

144.

Der Vikar des Bischof's Thilo von Merseburg theilt dem Probst zu St. Thomas mit, daß er den Lorenz von Freyenstat exkommuniziert habe, und daß der Probst die Exkommunikation in Leipzig verkündigen solle. 1467 Juni 6.

Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II, 10^a fol. 207.

Officialis curie Merseburgensis reverendique patris et domini domini Thilonis episcopi Merseburgensis vicarius in spiritualibus ac executor statutorum provincialium sacri concilii Magdeburgensis per diocesim Merseburgensem ubilibet constitutus, vobis venerabili viro domino preposito monasterii sancti Thome apostoli in Lipzig ceterisque requisitis salutem in domino. Quia ex officia ad nostram presentiam Merseburgensem quendam Laurentium de Freyenstat, in bursa Misnensium morantem, ad videndum ipsum declaratus sententias „Si quis suadente dyabolo“ propter quasdam lesiones per ipsum in clericos factas aut ad allegandum causas in contrarium similiter querelis discretorum Petri de Haygerloch et bacc. Iohannis Rottorp, clericorum Constanciensis et Halberstadensis diocesium, in certum terminum citavimus, in quo quidem termino licet dictus citatus comparuit, tamen causam rationabilem cur declarari non deberet minime allegavit, quare ipsum sententias „Si quis suadente dyabolo“ et alias censuras in dictis statutis contentas declaravimus incidisse et presentibus declaramus dei nomine in hiis scriptis, ymo dicti actores Petrus de Haygerloch et bacc. Iohannes Rottorp ad satisfaciendum recessu libellos contra prefatum Laurentium de Freyenstat obtulerunt, quibus respondendis ipse Laurentius sufficienter in valvis ecclesie Merseburgensis fuit et est citatus. Et demum propter multiplicem contumaciam ipsum Laurentium de Freyenstat reum excommunicavimus et dei nomine in hiis scriptis excommunicamus. Que omnia et singula vobis domino preposito predicto plebanisque ecclesiarum sanctorum Thome et Nicolai in Lipzig ceterisque requisitis notificamus, publicamus et insinuamus vobisque committimus, quatenus accedatis quo fuerit accedendum et prefatum Laurentium de Freyenstat singulis